

Pierij Val. Equus.

*Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit:
Si modò culturæ patientem commoder aurem.*

D

I M P E R I V M.

IN augurali verò disciplina, equos imperij significatum sæpe fuisse, comperimus, ut qui apud C. Iulium Cæsarem natus est, humanis propè pedibus, vngulis scilicet in digitorum modum subsicissis. Ei enim orbis terræ imperiū portendi, Aruspices respondere, apud quem equus huiusmodi esset editus. Eum itaque Cæsar magna aluit cura, nec patientem fessoris alterius primus ascendit. Cuius etiam instar pro æde Veneris genetricis dedicauit: quamuis prodigia reliqua ita despectui semper habuerit, ut ab incepto nunquã vllò, prodigijs quã tumlibet aduersis absterritus aut retardatus sit. Sed enim eadem animalis species quæ imperiū illi præfagiuerat, eadem inquam & mortē præmonstrauit. Siquidem equorum greges, quos in traiciendo Rubicone cōfecrauerat, ac va-
gos sine custode dimiserat, paulò antea quàm occisus esset comperiit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimque flere. Eo porrò affectu equi plerique in dominos sunt, ut eos interemptos lugeant, inquit Plinius, lachrymasq; interdū **E** desiderio fundant. Vnde non incitè de Pallante Virgilius:

*Post bellator equus posticis insignibus Aethon
It lachrymans, guttusq; humectat grandibus ora.*

Ad huius imitationem non minori forsitan affectu alterius equi amorem in do-
minum Silius Italicus ita decantat:

*Agnouit sonipes, arrectisque auribus acrem
Hinnitum effundens sternit tellure Vagesum,
Quem tunc captiuo portabat in agmina dorso:
Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis
Stante cruore soli, & mutilata cadauera cæde
Euolat, ac domini consistit in ora iacentis:
Inde inclinat collum summissus & armos,
De more inflexis præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.*

Sed ut ad portenta reuertamur, illud memoriæ proditū est, quemadmodū **N**ero asturconè, quo maximè delectabatur, posteriore corporis parte in simiæ specie abiisse per quietē videre visus, ac tantū capite integro hinnitus edere canoros, ostento fuit quòd illa equi ferocitas in simiæ ludibriū esset abitura. Dedit & Ælio Pertinaci feroci viro, qui post sublatū Commodū imperiū arripuit inuadendi regni signum equus. Nam ea qua natus est hora, equus pullus in tegulas ascendit, atque ibi breui tēporis spacio cōmoratus, simul & decidit & expirauit. Quod quidē huic in Villa Martis genito, & ad bellica negotia nato, futuræ sublimitatis, quamuis breui duraturæ, augurium fuit.

A L A B O R I B V S Q V I E S.

*Equi in
Nervæ in
1811.*

Quid vero soluti, pascentésq; in Neruæ numis equi sibi velint, cusæ ibidē literæ declarant, in hunc scilicet modū: VEHICVLATIONE ITAL. REMISSA. quod nonnulli referunt ad argumentum illud quòd in Boue ad præsepe tractauimus. Sed accipiendum potius de tributo quòd Italia omnis in vehiculationes exoluebat, ut & Magistratum sarcinæ, & exercituum, & alia huiusmodi publica transportarentur: quòd tributi genus Neruæ uti onerosum nimis Italiae remisit vniuersæ: qua de sententia plura dicerem, nisi doctissi-

mus